



DISPUTATIO PHILOSOPHICA

DE

QUATVOR FICTIS SIMPLICIVM SPECIEBVS, EX
QVIBVS ILLVSTRIS LEIBNIZIVS CVM CL. WOLFIO CONSTARE VOLVIT
OMNIA MVNDI CORPORA, ANIMAS BRVTORVM, ET HOMINVM,
VT ET IPSVM INTELLECTVM DIVINVM.



Vod Cl. *Burmannus* Synopseos Theol. Lib. i. Cap. 2. §. 47. propter *obscuritatem* potissimum & *barbariem* Theologiae Scholasticae obseruauit de huius architectorum scopo, scil. hunc fuisse, vt per illas spinas & difficultates non plebem modo, verum etiam liberaliora quaeque ingenia a Theologiae suae adspectu arcerent, sibi que solis clauem scientiae reseruarent; non vereor affirmare de quorundam hodiernorum nouorum Philosophorum instituto, atque de eorum obscura, intricata, paradoxa, absurda & perplexa philosophandi ratione; speciatim, ne iam alios memorem, de illustri Leibnizii eiusque sequacium Philosophia. Mirabuntur forte & aegre ferent non pauci hoc meum iudicium, vt temerarium & iniquum; maxime si legant, quae vir ille Illustris scripsit de *Primae Philosophiae Emendatione*, & de *notione substantiae*, & Actis Eruditorum Lipsiensium inferi curavit A. 1694. Mens. Mart. pag. 110-112. vbi ita incipit: *Video plerosque, qui Mathematicis disciplinis delectantur, a Metaphysicis abhorrere, quod in illis lucem, in his tenebras animaduertant.* Merito enim quilibet a magno Mathematico expectaret lucidas veritates & apodicticas demonstrationes.